Quelle: https://manuscripta.at/?ID=457
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

edificauerit domum. in uanum laborauerunt qui
edificant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem,
frustra uigilabit qui custodit eam. Sic nisi
dominus languorem curauerit, in uanum laborant
medici qui cupiunt sanare languentes. Nisi
dominus custodierit sanitatem in uanum custodi
unt. qui etiam precepta custodiende salutis
propriis edunt libris. Semperque dicendum est non so-
lum corporis sed etiam in anime sanitate.
Benedic anima mea dominum. qui sanat omnes
languores tuos. Porro qui peccato mor-
tui perseuerant. et nulla arte medicine
possunt anime recipere sanitatem. isti disper
dentur. et tollentur a domino. et hoc quod robustum
in eis est. quod masculinum uocatur penitus au-
feretur. Unde et pharao non uult interficere
sexum femineum qui per se fragilis est et faci-
le interire potest. sed omne masculinum quod
si ad uirum fuerit. et in uirilem etatem perue
nerit. difficulter occiditur. Iuxta symmachum
mortui non uiuificabunt qui peccato mor-
tui alios uiuificare non possunt. nec pulchra
laudatio est in ore peccatoris et gygantes
id est raphaim non suscitabunt alios. qui ipsi iux-
ta geneseos librum appellantur cadentes ui-
sitauitque eos dominus. ut et mortuorum et gygan-
tum omnis deleatur memoria. Solus enim est
qui suscitat mortuos de quo dicitur: quia sicut pater susci
tat mortuos et uiuificat. sic et filius
quos uult uiuificat. Possum mortuos simu
lacra appellare hominum mortuorum et gyg
antes demones qui simulacris eorum assident.
Nec terrere nos debere. quare lxx mascu-
lum. et ceteri interpretes memoriam transtu
lerint. cum hisdem tribus litteris. zai. et caph
et res utrumque scribatur apud hebreos. Sed quando
memoriale dicimus legitur zachar. quando

masculinum zochor. et hac uerbi ambigui
tate deceptum arbitrantur saul. quando pug
nauit contra amalech. et interfecit omne
masculinum eorum. deo precipiente ut deleretur
omnis memoria amalech sub celo. ille
pro memoria non tam errore quam prede
ductus cupidine masculos interpretatus est
nesciens illud apostoli. Nolite errare. deus non
irridetur. Indulsisti genti domine. indul
sisti genti. Numquid glorificatus es. elongas
ti omnes terminos terre. lxx. Adde eis ma
la domine. adde mala gloriosis terre. Mala que
lxx. secundo posuerunt. in hebraico non habentur.
Sed quia supra dixerant. ideo induxisti et
perdidisti et tulisti omne masculinum
eorum. eundem sensum secuti addiderunt
de suo mala. ut qui gloriosi interfecti sunt.
malis duplicibus obprimantur. Porro iuxta
hebreos multo alter est sensus. et priori
disputationi congruens. Dixerat dominus. mi
sereamur impio propheta respondeat. Ubi est
iusticia tua presertim cum tanta mala
in sanctos tuos operatus sit. Ad quod dominus et non
uidebit inquit gloriam domini. Rur-
sum propheta exaltetur manus tua ad percuti
endum. et non uideant gloriam tuam quam non
merentur aspicere. Ad quod dominus. uideant
magis et confundantur. Rur-
sum propheta. Domine pacem da nobis. et posside
nos qui tui nominis recordamur. impii
autem et superbi non uideant uel uiuant nec sur-
gant in gloriam sed contere omnem memo-
riam eorum. Causasque reddit. cur eos cu
piat interire. Indulsisti genti domine. in
dulsisti genti. Numquid glorificatus es. Et est
sensus. Sepe misertus es gentibus id est hu-

XIIII